


05

A

881





4914 3007

De

NATURA ATQUE
CONSTITUTIONE PHILOSOPHIAE
PRACTICAE ET GENERALIS
EIVS PARTIS ETHICAE

Exercitatio.

Pro cuius positionibus

In Academia Witebergensi

ANNUENTE F E H O V A

SUB PRÆSIDIO

M. MARTINI TITII

QUEDLINBURGENSIS

SAXONIS

RESPONDEBIT

ADAMVS à Proct / No-

bilis - Borussus.

Ad diem I. FebruarI solitis horis.



W I T E B E R G Æ,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi. 1611.





V I R I S

Antiquâ & verâ nobilitate præstantissimis,
Insigni pietate, virtute & Auctoritate præ-
cellentissimis,

Dn. { ANDREÆ }
 { FODOCO } von { Pröck }
 { JOHANNI } { der Milbe } auff { Lominen/rc. }
 { JOHANNI } { Brömse } { Woplackē/ } } Hered.
 { Wertern } { Lomenē/rc. }
 { Cubülē/rc. }

Parenti ac Avunculis suis ut charissimis, ita de-
bitâ observantiâ calendissimis.



In grati animi σύμβολον

E T

Industriæ τεκμήριον

Hoc ἀγώνισμα ἡμεῖς δικάωμεν & consecrat

Adamus à Pröck.

05 A 881

Quas parit ingenij vilis pro tempore messis
(O virtute VIRI cum pietate graves.)

Primitias, vestram moneor suspendere ad aram

Ut quadam memoris tessera sint animi.

Exiguam lati queso comprehendite munus

Curantes agrum, quo meliora ferat.

PRÆLO.

PRÆLOQUIUM.



NON scholæ, sed VITÆ discendum est, aiebat ille. Pulchrè & scitè dictum. Dignum emblema quod omnium cotidie obveratur oculis. Est aliquid fateor animum inscitiae rubigine exuere, intellectum mutarum rerum cognitione ornare, seq; totum artibus eiformare. Plustamen moribus studere, mores populorum explorare, & (ut paucis loquar multa) se suosq; indomitos affectus coercere, cohibere, regere & concinne moderari. Maximum opus hoc posterius, maximus labor.

De virtute loqui minimum, ait Poëta, virtutib. uti

Hoc Samsonis opus.

Scis creaturarum vim, vires, essentiam? Rem magnam tenes. Conversari scis cautè, callidè & tamen CANDIDE quoq;? Majus habes. Illud SCHOLÆ didicisti & TIBI, hoc VITÆ, TIBI & simul ALIIS. Nunc in te descende, & quodnam fructuosum magis, magis utile animo expende. Id fateberis, certò scio, esse quod VITÆ didicisti. Atqui hoc Practica illa Philosophia est. Practica ergo Philosophia discitur VITÆ: Theoretica maximè SCHOLÆ. Laudabilis profectò & nobilis sapientiæ h. e. theoreticæ philosophiæ est cognitio: Prudentiæ, quam profitetur practica, vix minor aut vilior. Illa doctiores, hac redimur meliores. *Aristoteles* interrogatus aliquando quid ex Philosophia lucratus esset? Hoc, inquit, ut injussus faciam quæ pleriq; legû metu. *Dionysius junior* postquam fuit expulsus regnò cuidam roganti quid tibi profuit Philosophia? Ut tantum, respondit, fortunæ mutationem facilius feram. Hoc de practica philosophia dictum esse, certissimum. *Imp. Marcus* sapientiæ studium non verbis aut decretorum scientia, sed gravitate morum vitæq; continentia usurpavit. Teste *Herodiano*. l. 1. *Histor.* Ipse caput & terror orbis *Alexander Macedo* non prius regnum adfectavit quàm philosophiæ (practicæ) regno paruisset, memorantib. *Plutarcho* in vita *Alexandri*. *Curtio* l. 1. *Iustino* lib. 12. In *Persarum Monarchia* laudabile illud fuit, quod nemo regno potuit potiri nisi qui prius ad Magos (ita enim *Persæ* appellabant Sophos) abierat tanquam sacris eorum initiandus, aliàs a throno pellebatur sicut ille *Lucifer* Olympo.

Leg: Platonem in Alcibiad. minore. Herodotum. l. 1. Tiraquel. tract. de Nobilit.
Piccolom grad. 3. c. 19. & gr. 10. c. 30. Aristippus cum cerneret juvenes huma-
nioribus literis deditos severiorem prudentiæ partem negligere: Pe-
nelopes procis ajebat similes sunt. Polydoram & Melantho ancillas
ambiunt, ipsam dominam non arripiunt. Vide Laert. l. 2. de vitis phil. pag.
126. Est & hujus loci lepida illa de Thalete Milesio historiola. Hic unus
ex 7. sapientib. Græciæ cum in cœlum conversus sideraq; contemplans
in foveam caderet à Thracensi ancilla facetè irrisus & taxatus fuit,
quod quæ in cælo sunt videre contenderet, quæ a. in terra ante pedes
sunt, non videret. Ex his omnibus dignitatem Philosophiæ practicæ
summâ agnoscimus. Agite ergò & in vireta illa prudentiæ paululû x-
spaciamur. Faciemus hac vice initiû de natura 1. Practicæ Philosophiæ;
& 2. ipsius Ethicæ paucis verba facturi. *Fave captis Morum-Doctor DEVS.*

I.

*Practica Philosophia doctrina est, docens hominem vir-
tutem exercere, sive honestè & probè vivere, ut summo civili bo-
no fruatur.*

Dicitur Philosophia Practica, ἀπὸ τῆς πράξεως ab actione.
Πράττει enim h. e. actis & factis exprimit virtutem. Miserum illum
Ethicum qui tantum virtutum narrat definitiones, proprietates, ob-
jecta & nescio quæ levia alia! ἡ πᾶσα πραγματεία ἔθωρίας
ἐνεκά ἐστιν, ὡς ὡς αἱ ἄλλαι. ἔγὼ ἴν' εἰδῶμεν ἡ ὅτιν ἀρετὴ συνεπρόμεθα,
ἀλλ' ἴν' ἀγαθοὶ γενώμεθα inquit Ethicus l. 2. ad Nicom. c. 2. & lib. 10.
c. ult. ἔγὼ δὲ, αἶτ, πρὸς ἀρετῆς ἰκανόν τὸ εἰδέναι, ἀλλὰ ἔχειν ἢ χρῆσθαι
πραττέον. Et profectò ignoro ego qui quis summi Boni unquam
queat fieri particeps admittâ nudâ duntaxat virtutum θεωρία, πράξεις
earundem planè neglectâ? ἡ εὐδαιμονία, αἶτ morum præceptor, ὅτι
ἐν κτήσῃ, ἀλλὰ χρῆσθαι ἀρετῆς. ὅτι ἐν ἔξει, ἀλλὰ ἐνεργεία ἐστὶ. Similes
sunt nudi morum speculatores ægrotis aliquibus qui Medicum atten-
tione quidem maximâ audiunt præcipientem, præceptis tamen & mo-
nitis illi us minimè morè gerunt. Ut verò tales nunquam ad sanita-
tem perveniunt: ita hi ad bonam frugem nunquam se recipient.
Et hæc est propria vis & significatio vocabuli πράξεως philosophica.
Unde Clarissimus Arniseus. Ex usu Philosophiæ Peripatetica peculiariter vo-
catur Praxis operatio directa ad Honestatē. disp. 1. polit. th. 10. Apage ergò no-
vos Socraticos Ramæos, qui nescio quâ confusionē practicæ & Theore-
ticæ Philosophiæ Peripatui objiciunt, actionem dicentes non solum
in pra-

in practicois sed & Theoreticis disciplinis esse, atque adeo hasce partes
minimè esse ἀνδιδιακίμνας sive contradistinctas. Longè alia praxis
in Theoreticis est, ubi pro qualibet operatione (& sic pro cognitione
quoq; nam cognoscere est agere) laxè satis accipitur vox πρᾶξις.
Nec præterea finis est Theoreticarum disciplinarum, utpote quæ
tantum ob cognitionem sunt & traduntur. Ratione a. finis potissi-
mum Practica à Theoretica distat σοφία, qui hujus tantum γνώσις, il-
lius præter γνώσιν etiam πρᾶξις propriissimè ita dicta.

II.

*Subiectum Practicæ Philosophiæ Homo est prout eum de-
positis vitiis honestè & probè vivere docet.*

Omnia namq; ad hominem quæcunq; Prudentia tradit, tendunt;
inq; ipsum per legitima media introducit ultimus finis. At verò
qui appetitum pro subiecto agnoscunt; potiorem veri Subiecti partem
arripiunt. Qui verò actionem humanam ex hominis libertate profi-
ciscentem, ut in ea honestum & quod decet refulgeat. *Piccol. in Introd.*
c. 2. 3. 4. paululum videntur à vero abire. Actio enim non consideratur
ut nuda actio in Practicis, sed ratione ejus cujus est actio. Propter
quod verò unumquodq; est tale, illud magis est tale, ait *Logicus 1. post. 2.*
Nihil etiam dicunt qui summum Bonum pro objecto venditant, ut-
pote quod practicæ Philosophiæ ultimus & externus finis est. Nec
veritatem sectatur *Timplerus* qui rationem & modum probè honesteq;
vivendi obtendit pro ὑποκειμένω legitimo: Ratio illa & modus ille
probè honesteq; vivendi verum objectum respicit, obq; id ipsum est &
docetur. Verum ergò objectum esse nequit. *Hactenus de subiecto.* Finis
practicæ Philosophiæ internus quis sit ex thesi etià patet, virtutis vide-
licet exercitium h. e. ipsum τὸ probè & honestè vivere. Id quod pro-
bant loca ex Ethicorum principe *Aristotele th. 1.* adducta. Adde quod
hujus gratia principaliter practica Philosophia inventa sit, & ad hunc
finem omnia præcepta immediatè tendant & dirigantur. Externum
v. finem constituimus felicitatem sive civile illud Bonum de quo
Philosophus noster exactissimè lib. 1. ad Nicom. Nec desinit ista felicitas
esse finis ultimus etiam si non pendeat à nuda hominis voluntate sed
etiam (ratione πρᾶξις) ab instrumentis externis. Etenim si ita
ratiocinari vellemus, nec esset sanitas finis Medicinæ. Nam

Non est in Medico semper relevetur ut æger.

A 3.

Cum

Cum tamen præstantissimi quique Medicorum externum suæ artis finem agnoscant esse Sanitatem, & Aristoteles ipse: Τέλος inquit ἰατρικῆς ὑγίεια l. 1. ad Nicom. cap. 1. quantumvis contradicat Parisiensis Petrus.

III.

Partes Philosophiæ practicæ duæ sunt. Una Communis sive Generalis: Altera propria sive specialis.

Pars generalis est quæ tradit principia, fundamenta adeoque semina illa totius Philosophiæ civilis, & in genere quodnam officium sit Viri boni cuiusque tandem is fuerit conditionis & ordinis monstrat, appellaturque ETHICA. Habet se hæc pars communis ad Politicam & Oeconomicam non secus ac generalis Physica sive libri 8. phys. auscult. apud Aristotelem se habent ad specialium corporum physicorum doctrinam. *Pars propria* est quæ ad singularia descendens communis partis præcepta societatis accommodat & applicat. Estque duplex Politica & Oeconomica. Hæc divisio practicæ Philosophiæ est omnium legitima. Videamus quomodo communiter dividant. Plurimi è peripatu tres assignant partes: Ethicam, Politicam & Oeconomicam, & hujus sui facti rationem adducunt istam. Tria sunt, inquit, quæ hominem felicem facere possunt, si videlicet fuerit vir bonus, bonus civis & bonus paterfamilias. Virum a. bonum Ethica, civem bonum Politica & Bonum Patremfamilias efficit & efformat Oeconomica. Sed vix tolerari poterit amplius antiqua hæc divisio. Primum enim in eo errat, quod virum bonum distinguit à bono cive, ac si illi essent disparatæ species. Vir bonus sit qui civis bonus esse velit necesse est, unus enim & idem utriusque finis. Unde Aristoteles ait, idem esse bonum privati hominis & civitatis 7. Polit. c. 3. Licet enim 5. Ethic. 2. doceat civem bonum & bonum virum non coincidere, tamen intelligendum id est de mala Republica, qualis erat Sybaritarum in qua civis bonus habebatur qui frugi non erat quoniam lex eorum ferebatur: NEMO NOSTRUM FRUGI ESTO; aut Ephesiorum à quibus ejiciebatur vir virtute excellens, aut etiam Romanorum cum dictator legem ferret, ut dictatori liceret quemque indicta causa damnare, ut est apud Ciceronem 2. de ll. Nobis v. proposita est bona Respubl. in qua Leges nihil sunt nisi virtutes armatæ, quales suas leges volebat esse Imp. Justinianus de concept. & confirm. Digest. illic enim idem est civis bonus & bonus vir, uti rectissime observavit Clarissimus

rißimus ille Arniseus disp. 1. Polit. Thes. 23. Deinde non informat Ethica
 privatum hominem, sed morum generalia proponit præcepta, genera-
 les regulas, secundum quas & civis bonus & bonus quoq; pater fami-
 lias se componere debet. Non enim verum est quod multi statuunt
 quasi scilicet Ethicæ præcepta non informant etiam Civem bonum
 & Patremfamilias bonum. Sive sis civis, sive paterfamilias docette
 morum doctrina, generaliter licet, quomodo in tuâ domesticâ soci-
 etate, & quomodo extra eam cum aliis tibi vivendum sit, atq; ita non
 quæ privatum tantum spectant hominem, sed quæ omnem exprimit.
 Adde quod Oeconomia non solum efformet bonum patremfamilias,
 sed totam familiam: Politica non solum bonum civem verum etiam
 totam civitatem seu Rempublicam, omniaq; ejus membratam Ma-
 gistratum quam subditos, uti hac in parte rectè docet *Clem. Timplerius*
in Ethica generali q. 7. c. 1. l. 1. Vide pro hac nostra sententia gravissimū
 autorem *F. Piccolomineam in Introd. c. 7. & 8.* quo in posteriore partem
 illam quam nos communem, ipse Theoreticam: & quam nos dici-
 mus propriam, ipse appellat Practicam. Terminis sanè minus appo-
 sitis. Nullum enim practicum est Theoreticum. Retamen convenit
 cum nobis ut patet *ex c. 1. & 8. Introd. in gradus civilis Philosophia.*

I V.

Præcepta Practica Philosophia non sunt scientifica.

Docent *Peripaterici* pract. Phil. præcepta circa mera esse contingen-
 tia, & ita majorem partem probabilia. Idem docuit *Aristoteles* cujus
 verba *ἰδιωγλώσως* proferemus. *Ἐ καλὰ, inquit, καὶ τὰ δίκαια, ὡς ὅν*
ἢ πολιτικὴ σκοπεῖται ποσούτην ἔχει διαφοράν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν
νόμῳ μόνον εἶναι: φύσιν δ' μὴ. 1. *Eth. Nicom. c. 1.* Et profectò verum est,
 majorem hic vim consuetudinis esse, quam certitudinis, ut *ἀκρίβεια*
ἠπιστημονικὴ planè nulla exspectari possit. Probabilia arripere iisque
 contenti esse jubemur. *Πεπαιδωμένους γὰρ δεῖν δεῖν ποσούτων τ' ἀκριβείας*
ἠπιστητέων καθ' ἑκάστον γένος, ἐφ' ὅσον ἢ τὰ πράγματα φύσιν δεῖν
δέχεται. *Arist. d. l.* Nec hic ad *Ideam* quandam confugiendum est, quâ
 necessaria ponuntur præcepta hujus Philosophiæ. Illa *Idea* quæ esse
 potest ubi nulla singularium convenientia, ubi tot diversæ & dispa-
 ratæ imò infinitæ in circumstantiis actionum Varietates, ubi nihil spe-
 ciei proprium, sed omnia singularium? Talia autem præcepta sunt,
 quales res ipsæ, utpote quæ præceptorum mensura: Dat ergò & con-
 stituit

stituit hinc præcepta illud ὡς ἔπι τὸ πολὺ non ficta quædam abstra-
ctio sive Idea, huic enim in re planè nihil respondet. In scilicet stalem
Ideam locum habere extra dubium est: in iis enim consensu omnia
singularia in reali quodam communi, atque ita universali & necessa-
riæ construuntur regulæ. Fatemur tamen (id quod cupimus benè no-
tari) virtutum definitiones in Ethicis secundum Ideam quandam dedu-
ctam ex principiis rectæ rationis, sive ex principiis nobis naturâ insitis conscri-
ptas esse, secundum quam in Politicis etiam quædam & Oeconomicis
constructa sunt præcepta. His tamen tota Philosophia practica non
absolvitur, quippe quæ ad specialiora sese demittit, quod in primis vi-
dere est in Politicis. Quod ergò hæc specialia attinet, nullus adhuc Po-
liticorum repertus est, qui eadem præceptis certis potuisset moderari:
Quemadmodum ergò in Jurisprudencia fieri non potest, ut omnes ar-
ticuli sigillatim aut legibus, aut SCtis comprehendantur, ut habetur
l. 12. ff. de legibus. Omnino enim impossibile est infinitam illam casuum
varietatem certis includere legibus, sed de iis solum, quæ ut plurimum
evenire solent leges proponuntur, in reliquis verò Judici ad responsa
prudentum, quæ parem habent cum legibus auctoritatem secundum
Ferrarium in comm. in l. 1. Instit. tit. 2. tanquam ad sacram aliquam an-
choram confugiendum est: ita quoque in Practicis præcepta quædam
dari possunt de iis, quæ ὡς ἔπι τὸ πολὺ: Plurima autem viris pru-
dentibus determinanda committere debes, qui soli ex longo rerum
usu in omnibus actionibus quid singulis personis, locis, temporibus
atque aliis circumstantiis conveniat, intelligunt. Legatur *judiciosissimus*
autor Anti-Machiavelli Gentiletes pag. 3. edit. ann. 1578.

V.

Pars Practica Philosophiæ generalis non est Politica, sed
ETHICA.

Constat veritas hujus ἕξεως, ut equidem existimo, ex thesi 3.
Hoc loco placet examinare quæ alij contra disputarunt. Est hodiè qui
Politica constituit generaliore disciplinam practicam ipsâ Ethicâ
motus ut video duob. fundamentis. I. Politica, inquit, Totius: Ethica
verò & Oeconomica partium rationem habent. II. *Aristoteles 1. Eth. c. 1.*
Politicae finem reliquarum artium fines complecti asserit: Id v. disci-
plinæ generalioris esse proprium, nullus negaverit. Verùm exigui
momenti

exigni momenti sunt rationes istae. Inficiamur n. simpliciter (quod ad i. responsam volumus) Ethicam partirationem habere, & Politicam Totius. Mera ergo petitio committitur principij. Consideratur homo dupliciter. Primo quidem, absolute quatenus ipse in se & per se est perficiendus sigillatim, separatim & solitarie, atq; adeo promiscue & indistincte sine respectu ullius certi status in hac vita: Deinde non absolute sed respectively prout, videlicet pars est cujusdam societatis, ubi mores suos distincte ad certum applicat statum, inq; eo debitas suas virtutes exercet. Applica Ethicam homini priori modo considerato, & eam multo generaliorum Politicam & Oeconomicam, hasq; illi subjectas esse facillime cognosces. Et quia universalia praemittenda sunt specialibus *Arist. 1. Phys. l. 1. c. 2. & 7. l. 98.* Qui Politicam praecedat Ethicam? In altero argumento committitur equivocationis error. Politica apud *Aristotelem l. d.* generaliter sumitur pro ipsa philosophia Practica non pro parte ejus speciali qua salias proprie *πολιτικη*; & hac in re secutus est noster Philosophus *Socratem* apud *Platonem* in *Polit.* quitoram hanc philosophiam appellat Politicam, nihilq; referre ait, utrum *βασιλικη*, *πολιτικη* vel *οικονομικη* vocetur. Et si maxime *Aristotelis* locus de proprie ita dicta Politica intelligendus esset, nihil aliud tamen exinde collegeris, quam quod Politica quasnam in civitatibus scientias esse oporteat, doceat. Quo non evincitur Ethicam non esse generaliorum Politicam.

VI.

Ethica est prudentia singulos homines moribus & virtutibus secundum normam recte rationis informans, ut quoad fieri potest Homo in hac civili vita bene beateq; vivat.

Dicitur Ethica *ἄπο τῆς ἔθης* a consuetudine & more. Consuetudine enim maxima ex parte virtutes acquiruntur *Arist. 2. Eth. 1.* sive *ἄπο τῶν ἠθῶν* a moribus quos docet, format, expolit. Observandum autem est vocabulum Ethicæ bifariam accipi. Generaliter & laxè pro tota Philosophia Practica; Specialiter & strictè sive *ἡ ἐξ ὁχλῶν* pro prima Practicæ philosophiæ parte, quam Moralem appellant Docti. Atq; in hac posteriore significatione definita est, ubi genus ejus diximus esse Prudentiam. Omnis enim disciplina operatrix est vel *πανηλικη* vel *πρασικη* secundum Ethicum nostrum *6. Nicom. c. 3. h. e.* vel ars est, vel Prudentia. Ethica non est disciplina *ποιητικη* sive ars, hæc enim

B

τῶν



ἡ ἐπιτηδεύουσα est id est eorum quæ corporis & manuum adminiculo tra-
stantur. Ethica verò minimè circa externa illa est, sed circa affectus po-
tissimùm moribus imbuendos. Ergo erit Prudentia. Deinde quinque
sunt habitus principales: Ars, Sapientia, Prudentia, Scientia & Intel-
lectus. *Aristot. 6. Eth. cap. 3.* Neuter verò horum Ethicæ præter Pru-
dentiam competit. Id quod ex eorum definitionibus liquet *6. Eth. po-
sitis.* Cæterum ut in omnibus alijs disciplinis operatricibus, ita quo-
que in Ethica tria sunt consideranda. *Finis, subjectum* scilicet operatio-
nis. *Media* quibus Finis in subiectum inducitur. *Zabarell. lib. 1. de Me-
thod. c. 6. & l. 2. cap. 9.* Finis Ethicæ duplex est. Internus & Externus.
(Duplicem enim plerumq; sortiuntur finem Practicæ disciplinæ)
Finis Ethicæ internus est hominem informare moribus, sive expolire
virtutibus. Externus est ἡ εὐδαιμονία Felicitas sive Bonum morale,
hominem per se consideratum concernens. Is enim verus & ultimus
disciplinæ alicujus operatricis finis est, qui ceu forma accidentaria ab
operante in Materiam introducitur, id quod de felicitate verè affir-
mari potest. Adde quod ab eadem totius Ethicæ natura & constitutio
pendeat, quippe quæ in definitione ceu differentia assumitur & qua
sine Ethica non est Ethica. *Paucis.* Omnia propria veri finis operatri-
cis disciplinæ quæ sunt. I. ut notus supponatur, maximè ratione *ἔσθ*
II. ut tanquam producendus ab agente actu non existat. III. ut me-
dia ejus producendi inquirantur, omnia hæc inquam felicitati conve-
niunt. Ergò verus & legitimus sive ultimus finis est Ethicæ. Subje-
ctum Ethicæ verum (non scientificum intelligas sed operationis)
quodnam sit, discors autorum opinio est. Alijs subiectum est sum-
mum Bonum *Scult. l. c. 1.* alijs actio humana, *Piccol. in Introd. c. 2. & 3.*
alijs Homo, quæ informandus est moribus generalioribus & quæ est
beabilis. *Zabarell. lib. 1. de nat. log. c. 15. Comimbr. in præm. sup. Ethic. Ari-
stotelis. Riccobon. in præfat. p. 24.* Harum opinionum quæ vera sit, vix
rectiùs cognoscas, quam si ad vera *ἡ ἐπιτηδεύουσα* objecti practici attendas:
cui enim illa ex asse competunt, id pro vero & legitimo certò habend-
um erit. Sunt autem *ἡ ἐπιτηδεύουσα* ista. I. In subiectum introducendus
finis est per certa media. II. Omnia quæ in disciplina traduntur ad
subiectum illud tendere debent. III. Subiectum est re distinctum
à fine & medijs finis. Applica hæc *ἡ ἐπιτηδεύουσα* tribus istis supra datis sen-
tentijs, & nulli præterquam ultimæ eadem convenire intelliges. Ve-
rum ergò Ethicæ objectum Homo est prout secundum nobiliorem
sui par-

fui partem animam scilicet informandus est moribus, ut felicitatem obtineat. Et ut hanc obtineat, media requiruntur, quæ sunt ipsæ virtutes, de quibus ἀρετολογία.

VII.

Partes Ethicæ duæ sunt: Eudaimonologia & ἀρετολογία.

Eudaimonologia, alij eam appellant τελολογίαν, est prima pars Ethicæ tractans de summo hominis bono, sine omnium actionum secundum virtutem & normam rectæ rationis institutarum. Αρετολογία, alij eam appellant μεσολογίαν, est altera pars Ethicæ virtutum definitiones, causas, proprietates & interiores naturas evolvens & declarans. Duabus hisce partibus absolvitur universa doctrina Ethicæ. Libro enim I. ad *Nicomach.* primam partem explicat *Morum-Doctor*, libris autem subsequ. novem alteram. *Timplerus* novus ille antiquioris philosophiæ reformator, ne ab *Aristotele* Ethicam didicisse videatur, sed ut ceu alter *Dædalus* à se effictis & formatis volaret alis, maluit Ethicam in *Αρετολογiam* & *Praxiologiam* dividere *lib. 1. Eth. gener. c. 2. q. 2.* Nimis profectò inconsideratè. Nam 1. non sunt hæ partes re distinctæ, sed una alteram includit. Αρετοlogia enim non est nuda duntaxat virtutum speculatio, sed potius virtutum exercitium. Nullum enim quod Ethicum est, in quantum tale, est Theoreticum. Deinde quæcunq; in praxiologia proponit *Timplerus*, ea omnia fundamentaliter & nervosissime *l. 3. ad Nicom.* ubi de principijs & adjunctis humanarum actionum disseritur, docuit *Aristoteles*. Adde quod praxiologia illa *Timpleriana* sive exercitium virtutis proximum virtutis principium constituitur *lib. 2. ad Nicom. c. 1. & lib. 1. Magn. moral. cap. 6.* Undè virtutis habitus dicitur constare ex multis actionibus repetitis. 3. Perturbat *Timplerus* hac suâ vitiosa distributione ipsissimam Ethicæ doctrinæ constitutionem & naturam. Ethicæ disciplina est practica. Atqui talis à fine tanquam essentiali parte initium capit, quin imò ipsam *ἀσκήσιν*. Unitas disciplinæ operatricis, inquit *Keck. lib. 3. Syst. log. p. 594.* pender ab unitate finis, non secus ac unitas scientiæ ab unitate objecti. Jam ut subjecti tractatio essentialis est scientiis: Ita finis etiam doctrinæ essentialis est prudentiis. Ergò εὐδαιμονολογία pars Ethicæ vera est, non praxiologia, quando re distincta ponitur ab ἀρετολογία.

VIII.

An juvenis sit Idoneus auditor doctrine Ethicæ.

Ethicorum dux *Aristoteles* ab auscultatione Ethicæ videtur re-

B ij

movere

movere juvenem, quando *lib. 1 ad Nicom. cap. 2.* triplex officium auditoris Ethici esse asserit. Quorum I. non exactas exigere demonstrationes, sed probabilibus acquiescere, ijs tamen quæ quotidiana experientia comprobantur. II. Dextrè de præceptis hujus doctrinæ judicare. III. Et eadem præcepta ad usum transferre. Quæ posteriora duo juveni minime conveniunt, ut qui exacti judicij nec est, nec varijs illis affectibus & perturbationibus, quibus esse obnoxius videtur, quit mederi. *Sed verior est sententia contraria, quæ statuit juvenem omnino idoneum Ethicæ auditorem esse, idq; ideo, quod 1. ἀπολυσθηλός τοῖς πάθεσι, a quibus liberandus, quod 2. se habet Homo ad hanc disciplinam, veluti æger ad Medicinam. Sicuti enim Medicina se habet ad corpus: ita doctrina Ethica se habet ad animum. At medicina ut est conservativa & reductiva sanitatis: ita Ethica se habet ad ægritudines animi. Vide P. Martyrem & Acciaolum in cap. 2. lib. 1. Eth. Nicom. quod 3. ipse Philosophus filio Nicomacho Ethicos adscripsit & præscripsit libros: Et Cicero Marco filio tres illos de officijs. Quod minime factum si ab Ethica omnis removendus esset juvenis. Pro Aristotele igitur observandum est quod non omnem repudiet juvenem, sed eum saltem qui juvenis est moribus & intellectu. Distinguendum enim est accuratè inter juvenes ætate & juvenes moribus. Illi omnino ad auscultationem Ethicæ admittendi sunt, maxime cum bene-monentibus cupiunt obtemperare. Triplex enim hominum genus est, quod ex Hesiodo lib. 1. πῶν ἐγγ. docet Ethicus 1. Nicom. cap. 3. Primum est quod sibi consulere potest: Alterum quod quidem sibi nescit imperare, alijs tamen imperantibus obtemperat. & 3. quod nec sibi consulere potest, nec alijs optima licet suadentibus vult morem gerere. Medium illud genus ex Liceo Ethico nunquam pellendum est: prius in eodem confirmatur. Tertium raro emendatur. Hi verò licet ætate senes sint, moribus tamen cum juvenes ita affectibus indulgeant ut non senes, sed pueri esse videantur, omnino ab Ethicæ doctrina excludendi sunt, nec tamen omnes, sed ij saltem, qui cum neq; ipsi quid justum sit, & quid faciendum intelligunt, alijs quoq; recta monentibus obtemperare omni modo recusant.*

¶ Citus futurus Ethicæ carere non potest.

Plurimi sentiunt diversum, qui videlicet relictâ scholâ Ethicâ nihil

nisi *Baldum*, crepant & *Bartolum*, maximâ quidem spe, sed dispari successu. His opponendum est præsens themation, ne vesana illa opinio in plurimum animis nimis altâ agat radices. *Procedamus ita*. Malè jacto fundamento quicquid superstruxeris, corruet. At verò totius Jurisprudentiæ fundamentum Ethica est. *Justitia enim quid sit & jus docet Ethica, quid a dicitur humana quæ ejusdem differentiæ, adjuncta, quid leges, quæ harum omnium proprietates docet eadem.* Jurisprudentia inquit *Oratorum princeps Cicero l. 1. de LL.* non est ex prætoris edicto, neq; è XII. tabb. sed penitus ex ipsa Philosophia haurienda. Quia aliter jus tradunt litigandi non juris vias tradunt. Ergò. Hinc illud tritum est: *Ubi desinit Ethicus, ibi incipit Ictus.* Sicuti, inquit *Zakariæ de nat. scient. const. c. 33.* bonus medicus esse non potest, qui non sit Philosophus naturalis, ita nec bonus legislator qui non calleat moralem Philosophiam. *Ομοίως οὖν ἔστιν* Clarissimi Ictorum *Vultejus & Herm. Kirchnerus.* Sine quibus jus satis commodè disci nequit, ait ille in *pref. jurispr. Rom. p. 58.* omnes sunt Philosophiæ partes, cum primis autem Ethica, quæ juris quædam principia proponit. *Hic verò in synopsis Philos. moral. th. 24.* Arbitramur, ait, neminem in studio juris absq; Ethicis cognitione feliciter progredi posse. Vide etiam *Piccolomineum grad. 1. Phil. mor. c. 30.* & bene doctum virum Magistrum *Thomam Sagittarium in templo virtutum.* Dissidentem *Joannem Albusium* hic non moramur, ut nec ejus rationes quæ vel puer profligaret. Satis.

I I

Ε Π Ε Ι Σ Α Γ Γ Ρ Α Φ Η

- I. Solane analytica scribenda Methodo ETHICA? Ita.
- II. Verane Aristotelice Methodus in Ethicis occurrunt? Nego.
- III. Estne Aristot. Autor libb. Eth. Nicomachicorū? Est.
- IV. Ut placeat libelli Ethici à puris Ramais editi? ut *μὴ οὐδὲν ἔστιν ἀνέγνω.*
- V. Ut vero ardeant libri Ethici à Philosophis Peripateticis scripti? Vehementer profectò: utpote quorum pleriq; non Philosophorum sed ipsius Prudentiæ labiis excidisse videntur.

B 3

A D



A D N O B I L I S S.

Dn. ADAMUM von Proetz Equ. Boruss.

I.

Quam vellem, sed enim capiendo cartula non est,
ADAME in laudes multas abire tuas.

Fortè has expediet propè qui magè culmina sedit

Parnassi, & MUSIS progeneratus ovat.

Hoc ego: Quæ veri scimus fundamenta juris

Esse, tenes veræ nobilitatis Homo.

Perge, & jus ipsis dicendo ex fundamentis

Nobilis esto magis, Mobilis esto minus.

f.

M. Martinus Ticius. Præses.

I I.

SI facit obscuros VIRTUS generosa celebres;
Non hæc augeat Nobilitatis honos?

In duplicem mentis cumulatur luce nitorem

Lux gentis; virtus omnia puncta meret.

Quin enitere VIRTUTIS conscendere culmen

Præciada, ut geminâ Nobilitate cluas.

Discipulo suo Charissimo E.

Joannes VVehnerus Delitio-
Misnicus.

Nobili.



I I I.

NObilitatis apex virtutibus arteq; gaudet.
Qui colit hæc verè - Nobilis esse potest.
Artibus insudas, virtutes impiger ardes,
PROCCIADE, magno progenerate fatû
Nobilis hinc verè potes esse: sed auguror exin,
Gentis eris durans faxq; basisq; tuæ.

Honoris ergo P.

Christophorus Cochius SIL.

E I N I S



III

7

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and ink bleed-through.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



05 A 881

ULB Halle 3
003 760 944




Wort

606








B.I.G.

Farbkarte #13

1914 3007



De
NATURA ATQUE
CONSTITUTIONE PHILOSOPHIAE PRACTICAE ET GENERALIS
EIVS PARTIS ETHICAE
Exercitatio.

Pro cuius positionibus

In Academia Witebergensi

ANNUENTE JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

M. MARTINI TITII

QUEDLINBURGENSIS

SAXONIS

RESPONDEBIT

ADAMVS à Prock / No-

bilis - Borussus.

Ad diem I. FebruarI solitis horis.



WITEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij, Anno Christi 1611.

